

INSTITUTUM OPERIS, E T S U M M A.



Criptorum in Jurisprudentia greges , atque dissidia , adeo rem quamlibet facilem & expeditam obruant , & abscondant , ut per mihi mirum videri non possit , si Ecclesiarum , quam vocant , immunitas , tot Pontificum decretis , statutisque legibus clara , Doctorum adversis opinioribus atque sententias mirum quantum distracta , ac dilaniata , vix speciem referat fui ; sitque saepius in cautia , ut inter Ecclesiasticos , & Laicos Magistratus , multæ & magnæ , immo vero inexplicabiles contentiones oriantur . Quam ob rem frequenter in mentem venit quam recte , & ex uto publico faceret is qui rem tanti ponderis ac momenti , disputationibus quæ veritatem hic illuc trahere solent omisiss , sine spe , & ambitione , graviter , & accurate tractaret . Sed quo magis id octabam fieri , eo quoque impensius a scriptio abhorrebat animus . Modo vero , cum tuas acceperit litteras , Praesul fanfissime , quibus me dixi repugnantem ; & invitum ad scribendum hac de re , summa qua polles auctoritatem compellis potius , quam invitas , & allicies ; tuo quidem imperio , prout maxime decet , obtemperare decrevi ; sed brevi , certaque methodo , ut

1. Quid leges Principum ,

Quid Ecclesiastica jura statuant primo videamus :

2. Rationes deinde , e quibus tot Scriptorum opiniones inter se repugnantem originem traxerunt , affaserimus in medium ; ut demum .

3. Quid in judicis , & præsumptuosis omnino statuendum sit
a quolibet cognosci possit ; nec valeant in posterum nonnulli & dupondio
Jurisconsulti , aut verius , numeris omnibus absoluti assentatores , tam
præclare imponere , & fucum facere judicantibus .

C A P . I.

De Principum legibus , Ecclesiasticisque constitutionibus .

TOIS quingentis annis post Christum Jesum natum , nullus est Ecclesiasticus Canon , qui de hac immunitate decernat . Imperatorum tantummodo legibus statuitur ; quarum sex a Justiniano in Juris Civilis corpus relate sunt . Harum primam Arcadius & Honorius , Augusti , anno post Christum natum CCCXCVII statuerunt , (a) *Judeos* , qui restitu diquo , vel debitis fatigati , simulant se Christiana legi velle coniungi , ut , ad Ecclesias confugientes , evitare possint crimina , vel ponderis debitorum , arceri debeat ; nec ante suscipi . quam debita univerfa reddiderint , vel fuerint , innocentia demonstrata , purgati .

Post hanc legem idem Honorius cum Theodosio anno CDXIV . generatim sanxit , (b) *Nemini licere ad sacrosanctas Ecclesias confugientes abducere ,*

(a) *Judei . C. de iis , qui ad Eccles .*

(b) *Eod . l. Fidelis .*